VERVS ECCLESIAE ADMINISTER

SIVE

DE S. IVONE

PAVPERVM PATRONO


ORATIO


Habita in eiusdem Templo

AD EMINENTISSIMOS

S. R. E. CARDINALES

AB ANTONIO FANTAVTIO
Sem. Rom. C.





ROMAE, Typis Ignatij de Lazaris. M.DC.LXXII.
SVPERIORVM PERMISSV.




EMINENTISS. PRINCIPI

FRIDERICO

CARD. LANGRAVIO

ANTONIVS FANTAVTIVS FELICITATEM




VDEO, Em. Princeps, literarium hoc munus ad Te deferre, compulsus necessitate, quæ omnes audaces facit; Debeo enim aliquid saltem tenue offerre innumeris Tibi beneficijs obstrictus. Præterea hæc Oratio verum Ecclesiæ Administrum repræsentat; Tu autem Eminentissimus Nobilitate simul & Dignitate tot nominibus primarias Ecclesiæ partes agis Diaconus Cardinalis, Sacræ Cæsareæ Maiestatis apud Sedem

Apoſtolicam Orator, Equeſtris Ordinis S. Ioannis Baptiſtæ Hieroſolymitani ſupremus per Germaniam Magiſter, Sac. Rom. Imperij, & Inclytæ Nationis Germanicæ, ac etiam Regnorum Aragoniæ, Sardiniæque Protector, nec ſolum Magnorum locorum Princeps, ſed etiam Vratislauienſis Epiſcopus; adeoque iure Tibi eam debeo & dico. Tuæ ſummæ benignitatis erit illam accipere, gratamque meam voluntatem excuſare. Vale omnium bono



ORATIO.





ONDITOR & mundi, & Ecclesiæ Deus, Emin. Principes, quemadmodum Stellas ad corpora moderanda locauit in Cœlo, vt essent in Orbe Naturæ signa potentiæ, ita pari prouidentia ad regendos Animos constituit Administros in Ecclesia, vt sint in Orbe Sanctitatis instrumenta Euangelicæ Virtutis; Administer enim Ecclesiæ non est priuatæ fortunæ, sed publicæ Curator salutis.

Itaque opportunè in hoc insigni Romano Gymnasio non solum arâ, & templo, sed etiam anniuersaria laudatione Vir sanctissimus IVO colitur, & commendatur, vt Roma Ecclesiæ Regia, dum veneratur & laudat, etiam imite-

tur

tur Verum Ecclesiæ Administrum; Atque huiusmodi fuisse IVONEM paucis ostendam.

Ex Conciliorum, Canonumque Sacrorum Oraculis constat; Triplex esse debere munus Illius, qui Ecclesiæ sincero animo seruit, ac studet; primùm nempe oportet, vt excellat scientia; deinde iura, & commoda Ecclesiæ tueatur; demùm iuuet, foueatque pauperes. Hoc triplici munere quasi Munimento firmata Diuinitatis Arx nec horrescit impetum obsidentium Inferorum, nec Tenebrarum insultantium potestatem reformidat.

Quare mirū non est, si suam IVO Vitam hoc triplici quoque ardore animauerit. Inerat Illi tam nobile, accuratumque sciendi studium, vt omne doctrinæ genus calleret, ac foueret: arcana Iuris dum profitebatur, exequebatur: instruebat documento Populos, Sapientes exemplo: non amicitiæ, sed Iustitiæ causam agebat: iudicabat mente sua, non aliena: nam turpe est Iudicem pendere ab aliorum iudicio: & hoc vnum erubescebat, se impetitum videri, dum Ecclesiam erudiebat; Administer enim Ecclesiæ, est etiam Ecclesiæ Magister.

Quam fortiter autem Ecclesiæ iura &. commoda asseruerit, non est cur memorem Intel-

lige-

ligebat ex vna parte; Non esse aliud Ecclesiam, quam Imperium Spiritus Sancti, Christi hæreditatem, Aerarium Empyrei, Generis humani præsidium; & ex alia cognoscebat inexorabilem fore Dei vltionem, si humana Diuinis posthaberentur, si Terra præferretur Cœlo, si pluris fieret opulentia Mortalitatis, quam Aeternitatis possessio. Hinc totus anhelabat ad agendam Ecclesiæ causam; pugnabat pro ea vigilijs, viribus, laboribus, prodigijs. Minabantur audacia verba? innocenti constantia excipiebat. Lædebant improba facta? Seueritate ingenua redarguebat. Obstabat armata Potentia? opponebat nudum auaritia pectus; quippe auri contemptus est Clypeus plusquam adamantinus aduersum violentiam. Hoc etiam ardore incensus non modo iura, & commoda, sed etiam Virtutes Ecclesiæ vindicabat: deserta sanctimonia perditur auctoritas, & aspernamur honorem, vbi negligitur virtus; nam Dignitas veritate nititur, virtute probatur.

Ex hoc etiam Ecclesiæ studio ingens illa oriebatur iuuandi Pauperes cupiditas, & industria, cum didicisset ex Diuinæ Sapientiæ testimonio, & Cælum, & Ecclesiam esse Regnum Pauperum, quos tanti æstimabat, vt ipse Imperator Mor-

Mortalitatis, Immortalitatis arbiter, Potentiæ Terror, & Omnium Bonorum Opifex, & Auctor Christus honori sibi duxerit, specie pauperis adire IVONEM, illique immensam splendidæ Diuinitatis repræsentare Maiestatem; vt constaret Omnibus, tunc Ecclesiæ splendorem augeri ab Administris, cum Pauperes iuuantur, & fouentur.

O verè fortunatum IVONEM, qui tam præclarè tanti Administri partes nobis exemplo suo approbauit; siquidem vera fortunæ magnitudo in eo posita est, vt Rempublicam omni, qua possumus arte sustentemus; Certe sic haberet semper felicitas nostra, vnde cresceret; Prouidentia enim Diuina impertitur arcano consilio felicitatem, vt simus alijs felices; deficit autem felicitas, & crescit eo gradu, quo publicæ consulitur Saluti.

